Crac. Stud. Univ. Jagell.
Promotiones Philos. Ord.
1660 V Idus Octobr.

Piskorski Sebastiani: Virens lauretum
ex quo decerptas laureas ingenuis
VIII. Adolescentibus primae in AA. et
Phil. laureae Candidatis — dat et donat.

L

D

Jng

J

v.

24/

VIRENS
LAVRETVM
Ex quo
Decerptas, adolescente Autumno, maturæ Virtutis
LAVREAS
Ingenuis VIII. *Adolescentibus Primæ in Artibus & Philosophia Laureæ*
Candidatis,
PER
Excellentissimum ac Doctissimum Dominum,
D. STANISLAVM JODŁOWSKI,
Collegam Minorem,
PHOEBVS
In
Celeberrimo ACADEMIÆ CRACOVIENSIS *Parnasso*
dat & donat
accinente,
Nouenario Pieridum Musarum Choro
&
numeros obseruante,
V. D. SEBASTIANO PISKORSKI,
eiusdem Laureæ
CANDIDATO.
Anno Domini 1660. V. Idus Octobris.

CRACOVIÆ,
In Officinâ Viduæ LVCÆ KVPISZ, *S. R. M. Typ.*

In Stemma Clarissimi & Admodùm
REVERENDI DOMINI.



Quæ micat æthercam pulcherrima LVNA per aulam,
Sœpius in tenebris deficit illa suis.
LVNA salutiferi clarissima lumine signi,
Defectum propriæ lucis habere nequit.

IOANNES IGNATIVS Enguer,
Stud: Poës.

CLARISSIMO & ADMODVM
REVERENDO DOMINO,

D. M. ALBERTO ŁANCVCKI

I. V. Doctori & Profeſſori Eccleſiæ Collegiatæ SS OMNIVM Cancellario S. Michaëlis in Arce Cracouienſi Canonico Parocho Luboricenſi &c. &c.

Domino ſuo & Patrono Fauentiſſimo.

Virens Lauretum, Bacciferasq́ in eo Laureas, quas nobis Alma Mater Academia, in Autumnali Librâ appenſas, & iuſto Laboris pondere appretiatas adnumerauit Tibi Clariſſime *&* Admodum Reuerende Domine *dedicatas offero. Fuêre illæ Phœbo quondam ſacræ, ſint modo Germanæ illius Tuæq́ Phœbes Auſpicatiſs mo conſecratæ ſyderi. Quod & luce ſuâ vmbriferum noſtri Laureti Lucum illuminabit, & immarceſcibilem Laurearum Virorem benigniori fœcundabit influxu. Non timebunt minaces furioſæ Tempeſtatis iras, quibus tàm benigna arident ſydera; & conſpirata in ſuam perniciem fulmina, facile*

cile in hoc ſigno vincent, *quod pluſquàm ſolaribus radiis vndiquaquè ſplendeſcit. Aſt nèdum quidem ego, ſed ipſa Laurus Tuum Patrocinium expetit* Clariſſime & Adūm Rńde Domine, *diſſoluta enim per plures Laureæ Candidatos agrè ferret folia; niſi aureâ Tuâ in vnum & benè ordinatum faſcem reuinciretur Catenâ. Non poterat concinna & omni numero abſoluta hæc Prima nobis obuenire Laurea; niſi tam pretioſo* LANCVCII *Torquè retexeretur: nec aptior illius Lunâ ad ſertum contexendum debuit inueniri Circulus; qui etſi dimidiatus apparet, breui totum continuabit Orbem: quæ enim modo Creſcens Phœbe eſt, mox Plenilunio aucti in ſublime honoris dimidiam Circuli partem ſupplebit. Æquum etiam erat* Clariſſime & Admodum Rńde Dńe, *vt Lauretum noſtrum viriditatis ſuæ non aliundè incrementa peteret; niſi à Te qui debacchante per hanc ipſam celeberrimam totius Sarmatiæ Metropolim hyeme Sueticâ, non Academiæ modò, ſed totius Cleri Virorem ab illius iniurioſis tempeſtatibus feliciter conſeruaſti, & ipſe vernantem inconcuſſi animi Tui gloriam retuliſti. Taceo hic (nec enim poſſibile eſt anguſtâ ampliſſimas virtutes Tuas depingere pagellâ) cùm alia ſexcenta Meritorum Tuorum indicia; tum hoc ipſo tempore indefeſſam Tuam in promouenda ſecuritate Academicâ operam, quæ tanta eſt, vt amplius Achillis ægide Academia opus non habeat, inuicto Tuo contra Aduerſarios oppoſito pectore. Priuatam quoq́; in me Clientem propenſionem Tuam, publicâ hac, volo priuatam luce: ſatis enim eſt Te ſingularem nominare Patronum. Qui debitum hoc à Tuo Cliente penſum & ſuſcipies gratus & benignus fouebis, explicante prompti fauoris ſinum beneuolentiſſimâ Lunâ Tuâ, cui plenam conſummati Luminis augem voueo cælitùs & apprecor.*

SEBASTIANVS Piskorski.

ACADEMIA MATER
ET
PHOEBVS PATER.

FOrtè ſub Heſperio Ferijs Septembribus aſtro,
Publica dum doctæ tenuêre ſilentia Muſæ
Pythagorasq; in Ariſtotelis ſiluiſſe Lyceo
Cœperat, Alma ſuo ſurgens ACADEMIA Mater
De ſtrato, vigili quod ſtrauerat ipſa labore
Inſomnesq; in eo ſolita eſt eludere noctes.
Vix vacuas luſtrare Scholas & pulpita doctis
Exarmata Viris orbataq; ſcamma Magiſtris.
Occœpit; de Parnaſſi penetralibus exit
PHOEBVS & ipſe Pater ſubitò, ſerumq; precatur
Omine cum fauſto Diuæ, comitemq; ferenti
Suſpenſos greſſus ſe præbet; at illa manuq;
Conuerſisq; genis Socium ſaluere iubebat.
Quam prior alloquitur: Quæ te Dea cura momordit?
Quid perſuaſit AMICA tuo conſurgere ſtrato?
Grataq; ſomniferæ turbare ſilentia noctis?
Omnia tranſacto cupiunt ceſſare labore
Poſt dulcem ſuauis Philomela tacere ſuſurrum
Nouit, Apes non ſemper opes conferre beatas
Aëreosq; ſolent Aquilæ exercere volatus.
Pelle animo curas, meritumq; excerpere pectus
Caucaſeâ permitte Aquilas in rupe Prometheî

Di-

Dixit: at illa pio frontem squallore stupentem
Erigit, extenditque manûs & talia fatur:
O genitor! quem credo meæ tenet vnica Prolis
Anxietas mecum, durum, vacuumque Paterni
Cor nec amoris habes: tibi sunt communia mecum
Omnia, tu genitis optas Pater optime Natis
Consuluisse meis. Cernis? quàm pulchra supersit
Progenies nobis? meritis quam fallere adoreîs
Mater ergo nollem, nec tu Pater ipse tulisses.
Non satis est genuisse mihi, non lacte Parentis
Progenitos nutrîsse meos, florentibus illos
Excultos Studijs & in ardua quæquè ruentes
Viribus ingenij, mentisque feracibus alis,
Est opus adiuuisse, Pater. Proli dedit alas
Dædalus ipse suæ, generoso Mater Achilli
Virginis ora Viro finxit Lycomedis in aulâ,
Et Phaëton fuerat currûs aurigà Paterni,
Et Cytherea pio accelerauerat astra Quirino,
Inter & Indigetes Diuos Ænea locauit.
Quantus amor Matrum prolis! quantusq; Parentum!
Ast ego quid faciam? sobolem quâ dote locabo?
Quâ mea me Matrem, tua quâ ratione Parentem
Te nôrit Proles? sano medeare dolenti
Consilio, pateatq; tuæ sententia mentis.
Risit, & orantem dictis affatur amicis:
Ouacuas, cassasq; tuo sub pectore curas!
De nostris veluti Mater Ditionibus vnquam
Nescîsses; Nobis Delphos, Parnassia nobis

 Sunt

Sunt iuga, Gryneumq́; nemus, me Cynthus adorat,
Ad minimumq́; fluunt Heliconis flumina nutum.
Si Cœlum ſpectare voles? ſummumq́; ſupernis
Sedibus Imperium? latiſſima regna tenemus,
Quæ totus peragrare mihi vix ſufficit annus.
Herculeæ nequeunt tantùm ſignare Columnæ,
Nec primus victor tantùm vidiſſe Lyæus
Terrarum poterat, quantùm mea Sceptra capeſſunt.
Hic pede contorto reſerat ſtellantia Cancer
Tecta mihi, claramq́; locat ſuper æthera ſedem;
Cornibus hîc celſi claudit Caper oſtia regni.
Sunt ſuper intonſi cornuta cacumina Pindi
Parnaſſiq́; iugum, compto placidiſſima crine
Et viridi æternùm Laureta manentia fronde.
Heſperidum fuerant aureîs Viridaria malis
Clara diu; ſed peruigili cuſtode perempto
Abſtulit Alcides prædam, vacuosq́; reliquit
Tàm celebres hortos. Florebat Adonidis auro
Alcinoiq́; nemus quondam; ſed cana Vetuſtas
Mordaci rerum conſumpſerat omnia dente,
Luceq́; lucentes Lucos orbauit & vmbrâ.
At mea perpetuis frondent Laureta Calendis.
Non caries, non tempus edax, non ſæua nocere
Tempeſtas audet, ſed amæno ſecula ſole
Cuncta vident: imò viridi ſua tempora ſerto
Deuincit Victor, Lauri ſine fronde triumphus
Non fiet celebris, Lauro Victoria gaudet
Virgineum redimita caput, ſuper æthera famam

Tol-

Tollit & æterno floreſcit Gloria Lauro.
Ipſe ego, dum aërijs ſæuum Pythona ſagittis
Perniciem terræ certam, poſt ritè peractas
Deucalionis aquas, fudi: mea tempora Lauro
Vinciui, Victorq́; ſacram Victoribus exhinc
Deuoui Daphnem, ſpolijsq́; feralibus arcum
Inſignem, folijs, tinctasq́; cruore ſagittas
Perpetui in ſignum volui redimire triumphi.
Hac reor Alma voles Lauro tua pignora Mater
Hac ſobolem donare tuam quæ tempore nullo
Marceſcit, viridis multos ſed durat in annos.
Vix ſilet, extremisq́; data eſt vix clauſula verbis;
Excipit illa, moræq́; loco priuantur inertes,
Iſtaq́; Materni pleniſſima reddit amoris:
Hoc volo Phœbe Pater: nec enimpræſtantius vnquã,
Largiri poteras Lauro; mihi ſufficit vni
Sufficit & Proli tantis gaudere Coronis.
Auertit Phœbus frontem ſimilisq́; dolenti
Indignatus ait, verbis ſolatia miſcens.
Non ſatis eſt nobis, virides præſtare Coronas,
Ipſaque duntaxat caris diademata Natis
De vacuis formare comis; Laureta lubenter
Addimus, æternâ noſtris ditione tenenda
Pignoribus. queîs cara mihi Parnaſſia rupes,
Siue meum natale ſolùm Delosquè ſuperbit.
Vel quæ proſpiciunt vitreas Heliconis in vndas
Vel quæ Craciadûm lambit grauis Iſtula ad Vrbem,
Do, dono, proprioquè meo de iure recedo,

Poſſi

Possideant, vtantur, pacificique fruantur,
Nec folijs tantum frontem, priuisque coronent
Laureti Baccis, properent sed habere secundas,
Insignesque meâ referant ex arbore fructûs.
Hæc mea Cedrinis inscribo munera chartis
Scriptaque perpetuis hæredibus ista resigno.
Quod superi faxint! Cœlestia Numina iustis
Subscribant Votis, faueant, facinusque secundent,
Dictaque cum caris Laureta virescere Natis
Permittant: nec enim dextro absq; iuuamine quicquā
Illorum potis esse ratum; superumque voluntas
Imperio premit astra suo, nutuque potenti
Inferiora regit. Superis mea Laurea curæ
Caraque Progenies. quorum pia Numina ritè
Sublatis precibus veneremur; vt ista secundent
Auxilioque iuuent, quæcumque poposcimus, atque
Infundant nostris Cœlestia munera Natis,

VENI S. SPIRITVS.

TV qui sacratæ fons Sapientiæ,
Præsesque clari luminis inclytus,
Tum Sanctitatis, ac amoris
Ignipotens celebraris auctor.
Attende nostris Pneuma laboribus!
Attende Votis! funde Charismata
Ignesque sacros & beata
Pignoribus dato dona nostris.

Columba pacti teſſera fœderis
Noëm virentes paciferæ tulit
Ramos Oliuæ, prima terras
Diluuio docuit vacantes.
Laurum virentem tu ſub imagine
Mitis Columbæ, fer niueo precor
In ore nobis, fac vireſcat
Perpetuis mea Laurus æris.
Quo noſtra Proles præſidio tui
Longùm fruatur Numinis, excita
Feruoris ignes vre eorum
Empyreis animos fauillis.

MAGNÆ MATRI & VIRGINI

MAXIMÆ, ALMÆ MATRIS ACADEMIÆ, PATRONAE.

PVlchra ſacrati, decoriſq; pleni
Virgo Sionis, cui ditiore
In Palæſtinis lacrymantur oris
Balſama ſucco,
Tu ſuper celſum Libani virentis
Verticem, caſto comitata cœtu
Virginum ludis, niueoq; flores
Pollice carpis.
Tu Prophetarum latebris dicati
Hera Carmeli, tibi Palma victrix
Ex Idumæis oriunda terris
Vertice flexo,

Debitos cultûs, viridisq́ Cedrus
Pandit, & Cœlo minitans Cupreßus
Laudat & pinguis meritos Oliua
Reddit honores.
Fac ſimul noſtræ pia Virgo Curæ
Te colant Laurûs, Tibi ſerta denſis
Texe Lauretis! viridiq́ frontem
Cinge Coronâ.
Quam recens noſtris manibus receptam,
Sub Tuis Nati pedibus reponunt.
Hacce non illos; tua ſed precamur
Tempora adornes.

FILIO & PATRI ACADEMIÆ MATRIS D. IOANNI CANTIO.

DIuus, qui diademata
Ornauit proprio Laureâ vertice,
Qui Proles Academiæ
Et Matris Pater eſt ſimul inclytæ.
Contrà ſæua pericula,
Hic noſtram clypeo Progeniem ſuo
Armabit, viridantibus
In ſtellata ferens æthera Laureis.
Vrbis Craciadûm decus!
Faxis Diue potens! auſpicijs Tuis;
Vt noſtri meritos gradûs,
Cari ſuſcipiant, annue, filij:

Quorum Tu pius es Pater.
Sumant auxilio Laurum Academicam
Vir Diuine Tuo, Cui
Laudem non tacitis ſemper honoribus
Reddent, atque pio melos
Patri, & grata canent Cantica CANTIO.

AVSPICIVM PHOEBI.

DVm Superis, Diuisq́ pios libamus honores,
Fauſtaq́ pro caris expoſcimus omina Natis:
Fallimur? an verax glomeratur imago ſupernis
Sedibus adueniens? & neſcia lumina ludit?
SPIRITVS *ille ſacer niueæ ſine felle Columbæ,*
Expanſis vacuum volitat ſuper aëra pennis,
Ocyor & iaculo & ventos æquante ſagittâ
Hoſpes adeſt, & noſtra ferax Laureta Volucris
Circuit in gyrum, celſoq́ in Vertice ſedit
Arboris eximiæ, crepitansq́ nitentibus alis,
Fudit in æternas Cœleſtia munera Laurûs.
Protinùs æthereum deducta VIRAGO *per aulam,*
Ad concepta ſubeſt calido ſub pectore Vota,
Virgineis comitata choris, & fronte repoſtam
Virginitatis habens viridi de fronte Coronam.
Ac vbi ſacratis Academica Limina plantis
Preſſerat; auguſtum ſubitò eſt ingreſſa Lyceum
Hæc pia de roſeo profundens verba labello:
Felices animæ! quibus eſt Sapientia cordi,
Et virtus, conſtansq́ fides, nomenq́ MARIÆ!

Viuite felices! viridesq́ capeßite Laurûs
Nestoreasq́ manu dextrâ numerate Calendas.
Non decet vt qui me cognoscitis esse Parentem,
Non ego vos Natos simili moderamine noscam.
Arrisit dictis castæ comes Hospitis, Almæ
Matris & ipse Parens, eademq́ precatus amico
CANTIVS *ore, nouis adamatæ Matris Alumnis.*
Subrisêre Scholæ, doctisq́ crepantia verbis
Pulpita plauserunt, Fiatq́ dedêre Cathedræ,
Hæc ego Pythio Tripodi subnixus Apollo
(Credite) vera etenim verax Oracula fundo.

CLARISSIMIS & EXCELLENTIS. DD. EXAMINATORIBVS.

CLARISSIMO & DOCTISSIMO
D. ANDREÆ BOHEMIO,
Collegæ Minori Facultatis Philosophicæ Decano.

CLARISSIMO & DOCTISSIMO,
D. CHRYSTOPHORO STELLANOWIC,
Collegæ Maiori.

EXCELLENTISSIMO ac DOCTISSIMO,
D. IACOBO BALTAZAROWIC,
Collegæ Minori.

SVblimes animæ! verissima norma Sophorum
Vnus Aristotelis, Socratis at ille, Platonis
Tertius: Ingenium si quis, mentisq́; profundos
Scrutatus fuerit vestro sub pectore fontes;

Dicet

Dicet Aristotelem primum, dicetq; secundum
Socratem, qui illis superest hunc ritè Platonem
Asseret, à metâ veri nihilumque recedet.
Ingeniosus erit primus, sapiensque secundus,
Tertius in Diuinâ par pietate Platoni.
Hoc ego Socrati quondam Pythius Apollo
Imposui nomen, nostro sapiensque creatus
Responso fuerat; quid obest ? si trina Virorum
Doctorum series, simili ratione vocetur ?
Non mea me dubium fallunt oracula vatem,
Nec sapiens, sed stultus ego, pinguesq; secundum
Pascere per campos Admeti Regis Ouile
Deberem ; meritos illis si præter honores,
Non etiam Curam conferrem, iusq; virentis
Laureti. Illorum manibus diademata nostræ
Texuntur soboli, per eos Parnassia cunctis
Limina aperta patent, ad eorum Delphica Laurus
Iudicium, libitumquè nouis reuirescere Baccis
Incipit. O Charitum pulcherrima imago Sororum!
Ternio prædulcis ! vestro mea pignora Cordi
Commendo, Patrij non expers ipse fauoris.
Tollite de pleno (doctissima pectora !) ramos
Laureto, Aoniasq; nouis date quæso Corollas
Athletis, luctæ vt capiant præsentis honorem.

Excell: D. PROMOTORI.

I*Am bona cuncta fauent, præsentia Numina votis*
Subscripsêre meis, doctiq; labore Magistri

Iam proprio, virides caris fecêre Coronas
Pignoribus: superest doctißime Fautor & Author
Primæuæ sobolis nostræ, Laurûsq; virentis
Optime largitor, virtutis & alma laboris,
Præmia delectis nouiter Tyronibus oro
Larga feras, meritasq; comis innecte Corollas,
Lauretiq; mei æterná ditione tenendi
Heredes statuas, promißaq; munera dones.
Nam virides præstare nouis Tyronibus hortos
Cui mage conueniet? nisi qui viridantibus ipse
Detracto arboribus viridi cognomine vernat.
O felix Arbos faustas visura Calendas!
Pande comam, Natosq; tuâ compone sub vmbrâ!
Non ingrata reor tanti monumenta laboris,
Nec tacitis referent animis: in pectore eorum
Semper honos, nomenq; Tuum laudesq; manebunt.
At vos Pierides dulcißima liba sorores
Accinite, & nostram promptæ celebrate sonoro
Progeniem cantu, viridesq; referte Coronas.

CALLIOPE.

I. V.D. IOANNI VLADISLAO, *NAGOTH.*

QVis me nubiuagam format in alitem?
Quis pennas humeris Icarias meis
Pollens ingenio Dædalus adstruit?
Præcox alta fugacibus
Præscindo calamis aëra; iam mihi
Nusquàm Sarmaticus visitur Istula,

Non augusta meæ mœnia Craciæ
Apparent. Feror arbitris,
Ipsismet Zephiris, ocyor excito
E curuis iaculo cornibus. hîc mihi
Montes diffugiunt Carpathij procul.
Et clari subitò iuga
Parnassi video, in cornua vertice
Discerpti socio. Pegasei propè
Iam fontes vitreis luxuriant aquis.
Iam dulces Cytharæ sonos,
Et voces patulis haurio sensibus.
Iam Musas teneo Castalio super
Ludentes fluuio. Tum celeres procul
Dissoluo calamos mihi,
Parnassique nouis limina calcibus
Allambens, video: quæ supereminet
Præfulgetque alijs alta sororibus,
Peplo Calliope aureo.
Hæc promissa suo dona VLADISLAO
Prætexit niueo pollice, dignaque
Describit folijs nomina Laureis
JOANNI NAGOTH, inclytæ
Musarum soboli, Delicio Artium,
Cultori studiorum, ac Academicæ
Primo signifero Laureæ, & Indolis
Ac mentis Iuueni Optimæ,
Quæ dum laurifero scripsit in annulo
Et caro imposuit serta NAGOTIO,
Mox plectro Cytharam tangit eburneo,
Inspiratque loquacibus
Has voces fidibus: Craciadûm noui
Augmentum decoris! gloria Posteris
Faustè nata tuis! viue virentibus
Felix vtere Laureis.

Respon-

Respondêre choro, Fiat, in altero
Musæ dulcisonum tendere barbiton
Gnaræ: Præses ait, Fiat, in aureo
Phœbus subsiliens throno.

C L I O.

III. V.D. SEBASTIANO TARALIC.

Arguta dulcem Calliopes lyram
CLIO sonori verbere pectinis
Excepit, ex argenteoq́;
Nectareos dedit ore Cantûs.
Hac melle tinctam fert Cytharam manu,
SEBASTIANO illâ TARALICIO
Laurum virentem, proprioquè
Pollice serta retexta, digno
Defert Alumno. Quas superaddidit
Laudum cohortes? vos Heliconij
Narrate fontes: nostra namquè
Lingua parum sitibunda vestris
Libauit vndis. dicite quas tulit
Famæ sagittas? & super vnico
SEBASTIANO fixit? illum
Eloquij laticem diserti,
Et Tulliani fluminis asserens
Merum fluentum, seu sibi Delphicam
Concedier Poëticamuè
Expetat aptus vtriquè Lauro.
Hæc illa dulci dum geminat sono
Tu si expeditos ad numerum pedes
Aptare velles; mox decoram
Scandere possis honoris aulam,
Dignamq́; Lauru promeritâ ferens
Frontem reuinctam, Pegaseis super

Innixus alis per Virorum,
Docta means volitabis ora.
Hoc Suada dulcis, Carminis hoc potens
Enthuſiaſmus ſpondet, & inſimul
Apollo vates, hoc ſonoris
Pierides cecinêre plectris.

THALIA.

IV. *V. D.* IOANNI STANISLAO, *PIOTROWSKI*

SIue tu Phœbo genitus Parente,
Siue Phœbeæ puerum ſorores
Inter auguſtas Heliconis arces
Exorientem
Te ſuo quondam gremio tulerunt
Digne PIOTROWSKI, niueiq; lactis
In locum Romanæ aluere paruum
Nectare Suadæ.
Namq; cur tantus ſubito coortus
Feruor in Muſis ? Tibi quæ frequentes
Præteroccurrunt & amœna Circum
Lilia fundunt.
Nectit hæc ſertum viridante Lauro,
Illa fert ramos, aliæ ſuäues
Dimouent chordas, Cytharaſq; docto
Pollice pulſant.
Vna quas inter roſeo Thalia
Ore ſubridens, tibi dulciores
Occinit cantus, recitatq; tales
Carmine voces:
Siue mellitas imitaris vnquàm
Tullij voces & in altiores
Artium docto properas cothurno
Ire receſsûs.

Qui

Quis Tuæ Mentis iubar & decoras
Ingenî dotes nequeat videre?
Ecquis excelsâ neget esse natum
Phocidis ora?
O mei proles adamata cordis!
Grata dulcedo! voueo receptis
Laureis, multos fruitor per annos
Care IOANNES.

E R A T O.

V. V. D. BENEDICTO LVDOVICO *KVCHARSKI.*

DVm Musæ psallunt, choreasq; Helicone iocosas
Ad numeros ducunt, Eratoq; virente Corollâ
Cæsariem redimire sui properat BENEDICTI
KVCHARSKI; interea Bellona micantibus armis
Sanguineâ facie, vacuas ferientibus auras
Terribilis cristis, rigidoq; satellite circùm
Septa venit, flexâq; leues Ceruice salutat
Musas: mox visum Iuuenem, dextrâq; prehensum
Ad sua Bellipotens subducere castra volebat.
Ast Erato niueum depingens sanguine vultum,
Infremuit dicens, iustasq; exarsit in iras.
Quis sacra tàm petulans audet miscere profanis?
Limina quis Phœbi, castasq; lacessere bello
Pierides? iuuenemq; meis subducere gratum
Præsumit manibus? procul hinc Germana Gradiui!
Non locus hîc aciesq; tuas decimare phalanges!
Audijt & Phœbus; dedignatusq; serenam
Auertit faciem ac insueta silentia dulci
Indixit Cytharæ, hocq; suæ fecêre sorores.
Tum Bellona genas roseo suffusa pudore,
Hospitij violata querens pia fœdera, sese

Proripuit, duri comitata rubigine ferri,
Exijt, erupit, pedibusq; fugacibus inde
Euasit, conturbatasq; quiete refecit
Pristinâ Musas; Erato tamen vnica gaudet
Plus reliquis, tangitq; Lyram, frontemq; reuincit
KVCHARSCII, verumq; sibi despondet Alumnum.

MELPOMENE.

VI. *V. D.* ALBERTO CONSTANTINO *Iurkowicz.*

NOn te IVRKOVI resono dulcissima Cantu
Melpomene Vacuum
Præterijt; non te viridis diademate Lauri
Pollice quod proprio
Texuit, orbatum siuit; sed amoris apertum
Obtulit iudicium;
Parnassi cum te celsam deduxit in arcem
Et viridante Caput
Ornauit Lauru, mediumq; amplexa suaues
Protulit ore sonos:
Si Tua qua multis ALBERTE memoria præstas,
Ingenijq; iubar,
Mellitæq; tuæ dulcis facundia suadæ
Sit memoranda mihi;
Maiorem tentare Lyram fidibusq; tenerer
Tendere plectra nouis,
Et Te Simonide aut etiam Cicerone creatam
Progeniem resonis
Deberem cecinisse metris: quæ dum reparantur
Interea salubris
Viue perennantem Lauri superato virorem
Et Tua temporibus
Nestoreis similem, viridantia tempora Lauro
Vitam habuisse queant.

Viue

Viue diu castis soboles gratissima musis,
Deliciumq; mei
Pectoris! o Patriæ certissima gloria quondam
Lausq; futura Tuæ!
Te viridiquè Tuâ celebris Tarnouia Lauro
Et reuirescet ouans,
Et bona dé primis progressibus omina spondens,
Maxima percipiet
Incrementa spei. Nunc opto virescat
Fama diu Patriæ,
Victurusq; Tuæ Magnos florescat in annos
Posteritatis honor.

EVTERPE.

VII. *V. D.* MATTHIÆ *GOSTOMIOWSKI.*

QVæ GOSTOMIOWSKI niueo placidissima vultu
Euterpe tibi munera confert?
Laurea serta prius claro decerpta Vireto
Parnassi, magniq; fauoris
Indicium præstat sacras Heliconis ad vndas
Cum te deducit, vitreosq;
Thespiadum latices caro propinat Alumno.
Post canit, ingeniosa sonoris
Plectra ciens fidibus: soboles carissima Viue!
Viue datisquè fruêre coronis!
Nec tua cum viridi marcescant tempora Lauro.
At tu vix de fonte Caballi
Hausisti plenis Phœbeia munere labris
Ingenij cumulatus opimis
Dotibus, excrescis subitò, proprijq; Patroni
Et Fratris recreare secundas
Dum cupis hacce tuâ Laurû; certissima iam te
Spes alit & non fallit eundem.

VIII. V.D. MARTINO SKORSKI.

ET te Phæbus amat, Pieridum tuis
Optabat fruier cœtus amoribus:
Qua propter viridi te diademate
Ornatum manibus Terpſichore ſuis
Sublimi ſtatuit limine, & inclytis
Parnaſſi celebrem ſedibus intulit,
Mellitamquè chelin pectine eburneo
Doctè percutiens omina non malæ
Fortunæ cecinit: creſce, minoribus
Annis ingenio damna rependito
SKORSKI, magna tibi munera contulit
Et Natura Parens & labor inſcius
Turpis deſidiæ, quare age creditis
Ad maiora gradum tollito Laureis.

POLYHYMNIA,

SEV

Symbolum affectûs

II. V.D. SEBASTIANO PISKORSKI OBLATVM

PER

V.D. IOANNEM VLADISLAVM NAGOTH.

Concandidatum ſuum.

ELoquar? an ſileam? magnis Polymnia rebus,
Dedita cantandis, memorandaq; facta recondens?
Eliciam cantum iniuſtâ de lege tacendi
PISKORSCIq; tuo docto ſubſcripta Libello
Decantabo graues non fictâ mente labores.
Tu melos in terras traxiſti carmine lecto,

Par:

Parnassi socium; nectens dum Laurea serta
Phœbiadum repetenda choro monimenta tulisti.
Moribus, ingenio, facundâque arte loquendi;
Non dubito summas poteris contingere laudes.
Pando Nemus Lauri, meritam Tibi necte Coronam,
Quam Romana tulit facundia; quamque Maroni,
Musa dedit, Vittas has nostris accipe votis.

VRANIA.

V.D SEBASTIANO PISKORSKI,

In signum grati animi dicata,

PER

V.D SEBASTIANVM IOSEPHVM TARALICZ.

ASTreans Virgo superas per ædes
Carminis Plectro resonare nata,
Syderum gyros modulante chordâ
Pellere mitte.
Cerne Parnassi Sociæ Sorores
Quos cient cantus? sibi dum Sacerdos
Phæbus electos comites coronat
Palmite Lauri.
Fatus hæc Craci genius Lycæi
Dum refert cælis tremulas per auras;
Audit & Sacro stupefacta profert
VRANIA ore.
Quæ subit cerno noua nata vatum
Turba, florentes Heliconis vmbras,
Et Sacrum Lauri nemus, & Dearum
Serta reportat.
Præsidem Cæli docuit stupenda
Arte PISKORSKI, sua cùm per Auras
Metra cùm nostris celebrans Deabus
Admouet astris.
Plectra suspendi, peramæni vatis
Mellei quando sonuêre Fontes,
Phœbeæ suadæ tumuêre fuso
Nectare Chartæ.

Euge PISKORSKI pete rostra faustus,
Tullio debes Latioquè linguam:
Orphei posses animare rupes
Carmine motas.
Quam per intentos Sophiam labores
Comparas, alti Studij profundos
Gurgites scrutans animi tenacis
Robore firmo.
Culmen Excelsi capitis reclina
Laurus intonsis dabitur capillis:
Iam patet Lauri Nemus, & reductis
Scena viretis.
Dixit & chordas feriente dextrâ,
Fecit immites crepitare ventos,
Metra PISKORSKI celebranda secum
Sumpsit in Astra.

Zoile quid frustrà Regalia sceptra lacessis?
Non ea marcescent, crede, virore tuo.



Quid latrare iuuat? strepitumq́ ciere forensem?
Accinit his placido Cygnus vbiq́ sono.

Ioach: Iosephus Enguer
Stud. Poës.

Sub Felicibus Auspicijs,
Perillustris Magnifici & Admodum Reuerendi Domini,
D. M. ADAMI ROSCZEWIC,
I. V. D. & Profes. Canonici Crac. Ecclesiæ S. Omnium
Archidiaconi Præpositi S. NICOLAI, &c. &c.
Almæ Vniuersit. Crac. Studij Generalis
RECTORIS
Vigilantissimi.